Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 559
Quelle:
Copyright:

menta *Tetrastichis* complexum, quorum quodvis censet XXIV. siquidem illud in *Sepulchrum Christi*, *Christum non tenuit saxum* &c. subpositum est *Prudentio*, cum absit ab omnibus Codicibus *Vatic.* ut testatur Editor *Parm. Vol.* II. p. 228. et a nostro. Lectio nostra vix abludit ab Editis. Initium est: *Eua columba fuit* &c. Litem de hoc Opusculo *Prudentio* motam enarrat Editor *cit. Praef. Vol.* I. p. 27.

Fol. 105. p. 2. absque Inscriptione orditur, ut e calce adsumo, *Liber Apotheosis*, quo Noster errores contra Essentiam Dei et Christi Divinitatem impugnat, duplici *Prologo* instructus, quorum prior incipit: *Est tria summa Deus* &c. alter: *Est uera secta, te Magister consulo* &c. Poema vero ipsum: *Contra Heresim Que Patrem Passum Affirmat.*

Plurima sunt sed pauca loquar ne dira relatu &c.

Contuli partim cum Edit. *Vol.* I. p. 305. neque notabilem deprehendi differentiam, si *Prologum* alterum excipias, in quo v. 19. pro *Statum* nobis rescriptum est *Situm*, et vv. 47. 49. ubi cum nostro malo *fertilem* pro *fertiles*, et *culmum* pro *culmen*. Poema titulis, ut oportet, rite interstinctum est.

Fol. 133. p. 2. absque Inscriptione sequitur *Hamartigenia* (Αμαρτιγενεια) seu Poema de Origine Peccati, cujus Praefatio incipit: *Fratres ephebi fossor et pastor duo* &c. ipsum vero Poema: *Quo te precipitat rabies tua* &c. Extat Edit. *cit. Vol.* II. p. 7. cui probe consonat Codex, nisi quod malim v. 23. cum illo legere: *proprium dum quisque reuulso vindicat imperio*, quam *proprio*, item v. 43. *Vnus semper erit gignens*, quam *Unum*, quod etiam Codex a prima manu habuerat, sed erasum est, et his fortasse per decursum similia; non enim enotare Codices integros instituti mei est.

Fol. 157. *Incipit Prudentius spichomachię.* Sic pro Ψυχομαχια. Thema disticho praemissum:

Aurelius Prudens Virtutum Proelia Clemens
Cum Vitiis Caecinit Metrica Scolasticus Arte.

Praefatio init: *Senex fidelis prima* &c. Poema ipsum praescriptum: *De pugna Virtutum Atque Vitiorum: Christe graues hominum semper* &c. Prout Edit. *cit. Vol.* II. p. 53. Ad *Praefat.* observo, v. 32. 33. legi in Codice *uinculis* pro *nexibus*, et *bogis* pro *bacis*; v. 36. *ne quam* erasum esse *m*, ut non sit, quod Edita habent, *nequam — prosapiam*, sed *nequa — Vis*; v. 47. 48. melius haberi *fertile*